

CLVII.

Anno 1496. 4. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Regno Slavoniae jus appellationis ad Tabulam Banalem confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie, nostre Maiestati expositum exstilit cum querela. Quod quamuis antiqua libertatis et laudabilis consuetudinis ipsorum prerogatiua requirente, omnes cause ipsorum pro quocunque facto vel negocio inter sese pro tempore mote vel suscitatie, primum in presencia Bani eiusdem Regni tractari et adiudicari, et dehinc pars litigancium non contenta, in Curiam nostram Regiam per viam appellationis suam causam deducere, sed et de ipsa Curia nostra iudicium, et sententiam ipsius Bani nostri infirmatam aut confirmatam, rursus ad eundem Banum pro executione semper reducere debuerit et debeat. Tamen nunc plurimi essent Nobiles in medio ipsorum Regnicolarum nostrorum bona et possessiones habentes, qui non curata huiusmodi libertate, et consuetudine eorundem, quo facilius partem aduersam in suis iuribus turbare, suasque causas etiam sinistras promouere in oppressionem partis aduerse possint, statim a principio cause suos aduersarios in Curiam nostram euocare, et hic obtenta pro se sententia, eandem non ad Banum pro executione referre, sed sub quadam taciturnitate aliis viis et modis exquisitis, exequi facere inceperant, in preiudicium premissae libertatis ipsius Regni nostri, et oppressionem eorundem Regnicolarum nostrorum manifestam. Nos igitur intellecta huiusmodi querimonia, sed et accepta superinde supplicatione eorundem Regnicolarum nostrorum, nolentes ipsos per cuiuscunque astutam calumpniam in suis antiquis libertatibus et consuetudinibus perturbari, sed eosdem pro debito regiminis nostri in suis iuribus conseruare. Omnes tales causas, euocaciones, adiudicaciones, sentencias, processuque earundem, quae contra prescriptam libertatem et consuetudinem, extra ordinem superius narratum per quoscunque hactenus factas et reportatas, de consilio dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum auctoritate nostra Regia duximus reuocandas, cassandas, et annullandas, imo reuocamus, cassamus ac nullius vigoris esse declaramus. Volentes nichilominus et decernentes, vt a modo deinceps premissus ordo consuetudinarius in medio eorundem Regnicolarum nostrorum in processu iudiciario semper et imperpetuum inuiolabiliter obseruetur. Quod si per quempiam aliqua temeritate aut astucia fieret et attentaretur contrarium, id ex nunc premissa nostra Regia auctoritate in irritum reuocamus. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum Bude feria secunda proxima ante festum